

Præterea simplicibus Presbyteris accommodari non possunt tituli qui Parochis tribuuntur à Theologis Parisiensibus; ab iis enim dicuntur *Prælati* & *Hierarchæ*. Illæ autem voces hominem significant sacrâ autoritate instructum, qui subditos habet in quos eam exercet. Quid autem simile reperias in simplici Presbytero, cui nullus est populus, qui nulli speciatim fideli suum ministerium ex officio (*par état*) debet, qui nemini imperare potest? Contrâ verò Parochi nomine intelligitur Presbyter, qui populo sibi commisso præest, cui modo peculiari debet sui ministerii functiones, & à quo exigendi obedientiam jus habet. Immeritò proinde diceretur Parochos esse juris divini comparatè ad Religiosos, minimè autem quoad alios Presbyteros qui ipsis ratione Ordinationis sunt æquales; quasi verò Pastoris *actualis* munus secum importaret Sacerdotis titulus, postquam in Ecclesiam investæ sunt vagæ Ordinationes.

---



---

## C A P U T I V.

### De sacræ Ordinationis Ministro.

**T**RES erunt hujusce capituli articuli; primus scilicet de ordinario; secundus, de extraordinario; tertius, de legitimo hujus Sacramenti Ministro.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De ordinario conficiendæ Ordinationis Ministro.

Inter varios quos Hæretici recentiores disseminârunt errores, inquit *Drouin*, perniciosissimus ille fuit quo Episcopatum conculcantes, jus non eligendi tantum, verum etiam instituendi, & quoscumque Ecclesiæ Ministros Ordinandi, penes Magistratum politicum esse, asserere non erubuerunt: contra quos fit

### PROPOSITIO.

#### *Solus Episcopus ordinarius est Minister Ordinationis.*

Probatur 1°. Ii soli ordinariam habent Ecclesiæ Ministros consecrandi potestatem, quibus solis auctoritatem hanc attribuit Scriptura: atqui non aliis quàm Apostolis, ac proinde eorum successoribus Episcopis, Ecclesiæ Ministros Ordinandi potestatem vindicat Scriptura. Quis enim primos septem Diaconos, à fidelium multitudine electos, consecravit? Nonne Apostoli? (*Act. 6. 6.*) Quis per singulas Ecclesias constituisse Presbyteros ibidem legitur? (*Cap. 14. 22.*) Nonne Paulus & Barnabas? Quis Timotheum per manuum impositionem Ordinavit? (*2. Tim. 1. 6.*) Nonne Paulus ipse Apostolus? Ergo, &c.

Prob. 2°. Ex constanti & perpetua Ecclesiæ consuetudine, quam in omnibus tum Latinorum Ritualibus, tum Græcorum Euchologiis spirantem reperias, ubi sacræ Ordinationis ministerium solis adscribitur Episcopis. Iis etiam accedunt innumera Veterum testimonia. Patres Synodi Alexandrinæ, ex Lybia, Thebaide & Pentapoli anno 319 congregati, in Epistola Synodica declarant Ischyram Presbyterum non esse, quia

fuerat Ordinatus à Collutho qui non Episcopus, at simplex erat Sacerdos. ( Tom. 2. Concil. pag. 547 & 548. ) Epiphanius Aetium infectatur, quòd Presbyteros Episcopis pares faceret, iisque potestatem tribueret manus imponendi; errorem hunc vocat *dogma furiosum & immane*. ( Tom. 1. pag. 906 & 907. ) S. Hieronymus: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, inquit, quod Presbyter non faciat?* ( Tom. 4. part. 2. pag. 803. ) S. Chrysostomus: *Sola Ordinatione, inquit, superiores sunt (Episcopi). Hinc tantum videntur Presbyteris praeferre.* ( Homil. 11. in 1. Ep. ad Tim. n. 1. tom. 11. pag. 604. )

Ex iis autem testimoniis & aliis innumeris quae praeferimus, conficitur istud argumentum: Ii solum Episcopis ordinariam tribuunt Ministros Ecclesiae consecrandi potestatem, qui hoc uno penè officio Episcopum à simplici Presbytero differre affirmant; qui dogma contrarium appellant *furiosum & immane*, qui irritam pronuntiant Ordinationem presbyteralem, ab alio quam ab Episcopo factam: atqui talis est Veterum quos laudavimus doctrina; ergo, &c. Antiquae igitur fidei maxime consonum est illud Concilii Tridentini decretum: *Si quis dixerit Episcopos . . . non habere potestatem . . . Ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... anathema sit.* ( Sess. 23. de Sacram. Ord. can. 7. )

*Solvuntur objecta.*

Objicies 1<sup>o</sup>. Chorepiscopi Diaconos & Presbyteros olim Ordinârunt; de iis enim sic statuit IV saeculo Concilium Anthiochenum: *Nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare audeant* ( Chorepiscopi ) *absque urbis Episcopo, cui subijcitur ipse & regio.* ( Tom. 2. Concil. pag. 566. ) Atqui Chorepiscopi simplices erant Presbyteri; ergo simplices Sacerdotes olim Diaconos & Presbyteros Ordinârunt.

Resp. Dist. maj. Chorepiscopi qui erant Episcopi, conc. maj. qui simplices erant Presbyteri, neg. maj.

Chorepiscopi nomen ex graecis duobus vocabulis conflatur, quorum alterum, scilicet Episcopus, *inspẽdorem*, alterum verò *pagum, rus, regionem*, sonat: itaque, juxta vim nominis, Chorepiscopus est Minister qui extra urbem in villis, pagis, oppidulis, Episcopi vice fungitur. Duplex autem olim fuit Chorepiscoporum genus: alii simplices erant Sacerdotes, qui in nonnullis oppidis commorantes, aliquam Episcopi cujus erant Vicarii, jurisdictionem supra reliquos Presbyteros exercebant: alii autem verè fuerunt Episcopi. Ubi enim, vel faviente persecutione, vel aliam ob causam, suis è sedibus depulsi fuerant Episcopi, in alienis diocesisbus Chorepiscopatum exercere poterant, reverè ad illud officium aliquando assumebantur. Id etiam moris fuit, ut Episcopi qui ab Hæresi ad Ecclesiam Catholicam revertebantur, in ea vel Presbyterii vel Chorepiscopatus honorem obtinerent; quod patet ex Concilio Nicæno I an. 325, ubi de Præsule qui Novatianorum errorem ejuraverat, dicitur: *Providebit ei ( Episcopus ) aut Chorepiscopatus aut Presbyterii locum, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* ( Tom. 2. Conc. pag. 41. )

De hujusmodi Chorepiscopis intelligendum est, quod in antiquis canonibus legitur, eos Ordinandi facultatem habuisse. Eum esse Canonis Antiocheni sensum satis manifestum est ex istis verbis quae immediatè præcedunt: *Iti qui sunt in vicis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi Ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est ut modum suum sciant, . . . nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare, &c.*

Obj. 2<sup>o</sup>. S. Leo sic pronuntiat: *Nulla finit ratio ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expetiti, nec à*

Provincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati: ... si qui autem Clerici ab istis Pseudo-Episcopis.... Ordinati sunt, .... & Ordinatio eorum cum consensu & iudicio Præsentium facta est, potest rata haberi. (Epist. 2. ad Rusticum Narbonensem, tom. 1. pag. 404 & 405, edit. Quesnel.) Porro illi Pseudo-Episcopi nihil aliud erant, quàm simplices Presbyteri: atqui tamen S. Leo ratam habet Ordinationem ab ipsis factam; ergo, juxta illius mentem, validè Ordinare possunt simplices Presbyteri.

Resp. Neg. maj. Presbyteri enim de quibus loquitur S. Leo, eo quidem sensu Pseudo-Episcopi erant, quòd legitime Ordinati non essent; siquidem Episcopatum contra Ecclesiæ Canones arripuerant; sed verè nihilominus erant Episcopi: in ipsorum enim Ordinatione hoc unum redarguit S. Doctor, quòd ipsi defuerint Clericorum electio, plebis suffragium, consecratio à Provincialibus Episcopis facta, cum Metropolitanis iudicio: atqui hujusmodi leges ecclesiasticæ religiosè quidem erant observandæ, ut legitima licitaque esset Ordinatio, non autem ut valida; alioquin ubi Clerus, populus & Metropolita, hæresi vel schismati pertinaciter adhærerent, nemo, nisi eadem lue infectus, posset Episcopus verè consecrari. (V. not. Quesnel. ad hunc locum, tom. 2. pag. 788.)

Obj. 3<sup>o</sup>. Ea est Ecclesiæ consuetudo antiquissima, ut Presbyteris Ordinandis Sacerdotes circumstantes, unà cum Episcopo manus imponant. Cui disciplinæ fortè locum dedit, quod ait Apostolus Timotheo: *Noli negligere gratiam quæ est in te per impositionem manuum Presbyterii.* (1. Tim. 4. 14.) Ergo facultas Ordinandi Presbyteris Episcopisque est communis.

Resp. Neg. conseq. Hanc enim manuum impositionem à Presbyteris factam, ad essentiam Ordinationis non pertinere duplici ratione demonstratur: prima est, quòd simplices Presbyteri ma-

nium imponentes, Ordinationis formam non proferant, in qua maximè sita est Sacramenti efficacia; secunda est, quòd ritus ille sit Latinorum proprius, nec à Græcis & Orientalibus observetur, apud quos tamen veros esse Presbyteros nemo negaverit.

## ARTICULUS II.

## De extraordinario sacre Ordinationis Ministro.

Solum Episcopum esse ordinarium hujus Sacramenti Ministrum, unanimes est Theologorum catholicorum doctrina: de Ministro autem extraordinario non consentiunt; alii enim, inter quos Morinus, non minores tantum Ordines, sed etiam Diaconatum & Presbyteratum; à simplici Sacerdote ex Ecclesiæ concessione conferri posse existimant; alii fatentur quidem Subdiaconatum inferioresque Ordines conferendi ministerium, Presbyteris committi posse; sed contendunt Diaconos & Sacerdotes consecrandi jus ita esse Episcopi proprium, ut nullo in casu nullaque concessione ad simplices Presbyteros transferri queat.

## PROPOSITIO I.

*Simplex Presbyter non potest esse extraordinarius Minister consecrationis sacerdotalis.*

Prob. Per Ministrum extraordinarium intelligitur ille, cui Sacramenta conferendi potestas ex speciali concessione Ecclesiæ interdum committi potest: atqui SS. Patres quos in primo articulo laudavimus, Sacerdotes consecrandi potestatem ita solum Episcopis vindicant, ut ab ea simplices Presbyteri prorsus excludantur; 1<sup>o</sup>. quia instar principii generatim & sine ulla exceptione statuunt,

Sacerdotes à Presbyteris Ordinari non posse: *Quinam fieri potest*, inquit S. Epiphanius, *ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?* (*Hæres. 75. n. 4. tom. 1. pag. 908.*) 2°. Quia pronuntiant Episcopus solâ Ordinatione Presbyteris esse superiores.

Præterea, si penes Ecclesiam esset Sacerdotum Ordinationem simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, interdum committere, aliquod hujus privilegii vestigium deprehenderetur, sive in Canonibus, sive in libris ritualibus, sive in Patrum scriptis, qui copiosè & accuratè ea exposuerunt, quæ ad Episcopatum, Presbyteratum, & utriusque functiones pertinent: atqui tamen de hujusmodi privilegio silent Canones, silent Rituales, silent Patres, unanimique consensu statuunt, ab alio quàm Episcopo non posse consecrari Presbyteros; ergo, &c.

Denique si quândo possent Sacerdotes ad conferendum Presbyteratum ab Ecclesia delegari, aliquod hujus rei exemplum in Historia Ecclesiastica extaret, sicut non semel legitur Confirmationem à simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, fuisse administratam: atqui tamen nullibi reperias Ecclesiam Presbyteris Sacerdotes Ordinandi facultatem aliquandò concessisse, etiam cum urgeret necessitas; cum scilicet, tyrannis in Religionem Christianam sævientibus, Episcopi suis è sedibus ejecti, vel crudeliter macerarentur, vel in exilium aut carcerem mitterentur; ergo, &c.

#### *Solvuntur objecta.*

Objicies 1°. Licet Episcopus ordinarius sit Confirmationis Minister, illius tamen conferendæ officium simplicibus Presbyteris committi potest; ergo de Presbyteratu idem sentiendum est.

Resp. Neg. conseq. Quid enim in Sacramentis

conficiendis valeat Sacerdos, non ex comparatione, verum ex Traditione definiendum est, quæ tutissima est voluntatis Christi interpres: hanc autem fuisse supremam Christi voluntatem, ut simplex Sacerdos Confirmationem, extra ordinem administrare posset, Presbyteratum verò nunquam, nos docet Traditio. Multiplex enim suppeditat exemplum Confirmationis à Presbyteris celebratæ, nullum autem Presbyteratûs à simplice Sacerdote validè collati. Numquid verò Christus Ecclesiæ eam potestatem concessit, quæ otiosa semper & iners esset manfura? Præterea non semel dixere SS. Patres Episcopos solâ Ordinatione esse Presbyteris superiores; de Confirmatione autem nunquam ita locuti sunt: quænam autem est illius discriminis ratio, nisi quia Patribus persuasum erat, Confirmationem à simplicibus Presbyteris, tanquam Ministris extraordinariis, ex Ecclesiæ permisso conferri posse, nunquam verò sacros Ordines?

Obj. 2°. Incredibile est Christum Ecclesiæ suæ in necessariis non satis consuluisse: atqui tamen res ita erit, si nunquam possit Presbyter Presbyterum validè consecrare. Sit enim amplissima quædam Ecclesiæ portio quæ, grassante peste, aut sævientie persecutione, suis videtur Præsulibus, & cui laboranti subvenire nequeant finitimarum regionum Episcopi: tunc in ea Provincia intra modicum tempus corrueat Religio, nisi valeat presbyteralis consecratio à simplicibus Sacerdotibus facta; ergo, &c.

Resp. 1°. Si quid valeat propositum argumentum, eadem ratione suadebitur, non à Sacerdotibus duntaxat, sed etiam à Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, imò & ab ipsis Laicis posse, urgente necessitate, validè consecrari Presbyteros; nempe si tanta fieret Clericorum strages, ut ne unus quidem superesset; procul igitur vanæ hujusmodi hypotheses & cavillationes.

Resp. 2°. Neg. min. Qui enim potest de lapsi

dibus suscitare filios Abrahamæ, ( *Matth. 3. 9.* ) poterit afflictis quibuscumque regionibus continuatam Ministrorum seriem, servatis legibus à se constitutis, providere; idque non semel factum legimus, cum nonnullæ Provinciæ, vel infidelium crudelitate, vel hæreticorum factionibus oppressæ, ubique ereptos sibi Episcopos lugerent, qui vel in exilium, vel in carcerem conjecti fuerant. Non permittit tamen Deus, ut in luctuosis illis rerum angustiis populi necessariis Ministris prorsus caruerint; quidni ergo eum idem in posterum facturum sperabimus?

Si verò Pastores universos, ipsamque fidem quibusdam populis, ut Judæis, auferri permetteret Deus, tunc adoranda essent occultissima, sed iusta, ipsius judicia & cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? ( Rom. II. v. 33. 34. )*

PROPOSITIO II.

*Simplex Presbyter non potest esse Diaconatus Minister extraordinarius.*

Prob. Presbyter non potest esse illius Ordinationis Minister quocumque in casu, cujus nullum alium Ministrum exhibent Scriptura & Traditio, quàm Episcopum: atqui utraque non alium Diaconatus Ministrum proponit, quàm Episcopum; 1<sup>o</sup>. quidem Scriptura, cum referat primos septem Diaconos ab ipsis Apostolis fuisse Ordinatos, & Paulum non aliis quàm Episcopis, Timotheo nempe & Tito, mandasse quid in consecrandis Diaconis observare deberent; 2<sup>o</sup>. & Traditio; tum quia sacri Canones & omnes Latinorum Græcorum Orientaliumque libri rituales solis Episcopis Diaconos Ordinandi potestatem faciunt; tum quia

quã nullum in tota Historia Ecclesiastica exemplum occurrit Diaconi à presbitero consecrati; ergo, &c.

Insuper Ordinatio Diaconi verum est Sacramentum, ut suo in loco probavimus: atqui Ordinatio, saltem sacramentalis, ad solos Episcopos pertinet, nisi velimus errasse tum Hieronymum, cum ait: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* tum Chrysostomum qui asserit Episcopos, *sola manuum impositione*, id est, Ordinatione, Presbyteris superiores esse. ( *Homil. 2. in Epist. ad Timoth.* ) Ergo, &c.

Solvuntur objecta.

Objicies 1<sup>o</sup>. Innocentium VIII, Romanum Pontificem Diplomate anni 1489, Cisterciensibus Abbatibus privilegium concessisse suis Monachis Diaconatum conferendi.

Resp. 1<sup>o</sup>. cum multis nobilibus Theologis; privilegium illud dubiæ admodum esse autoritatis. Hactenus enim proferri non potuit è scriniis Vaticanis authenticum illius Bullæ exemplar, nullumque ejus vestigium extat in Bullario Romano, ubi tamen congeruntur innumeræ aliæ longè minoris momenti. Præterea secum pugnant qui eam referunt. Franciscus enim à *Victoria* Bullam hanc se vidisse asserit; sed in ea solum Subdiaconatum memorari. ( *In summ. n. 235.* ) *Vasquez* autem qui illam se legisse testatur, etiam Diaconatus in ea fieri mentionem affirmat. ( *Disp. 143. c. 4.* ) Aliud igitur exemplar Fr. à *Victoria*, aliud legit *Vasquez*. In hac autem varietate, vel nulli, vel ei potius credendum est exemplari, quod Traditioni magis consentaneum est. Denique Pius V in Diplomate quo Præmonstratensis Ordinis Abbatibus conferendi Subdiaconatus facultatem denegat, loquens de privilegio Cisterciensibus concessio, solius Subdiaconatus meminit.

Resp. 2<sup>o</sup>. Etiam si privilegium illud extra om-

nam suspicionem positum esset, nihil inde colligi posse: à facto enim ad jus non valet consecutio, nec Innocentii Bulla sacrorum Canonum & Traditionis auctoritati prævalere debet; *Pontificum enim gesta*, ut in re dissimili ait Soto, *non sunt habenda tanquam canonicæ leges.*

Obj. 2<sup>o</sup>. Plus Diacono præcellit Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus; ergo si Presbyterum Episcopus, multò magis Diaconum Sacerdos consecrare potest.

Resp. Dist. ant. Plus Diacono præcellit Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus, ratione dignitatis, conc. ratione potestatis Ordinandi, neg. ant.

Reverà quidem si dignitatem spectes, magis Diacono præstat Sacerdos, quàm Sacerdoti Episcopus: Presbyter enim & Episcopus non distinguuntur quoad Sacrificii offerendi ministerium, quo munere nullum aliud præstantius habet sancta Religio; si verò potestatem Ordinandi consideres, sub eo respectu longè magis Sacerdoti præcellit Episcopus, quàm Sacerdos Diacono: Presbyteratum enim & Diaconatum conferendi jus ita soli Episcopo vindicat tota Traditio, ut non possit ad simplicem Presbyterum transferri.

Quæres an Subdiaconatus & minores Ordines possint à Presbytero conferri.

Resp. in eo consentire Theologos, quòd Presbyter possit minores Ordines conferre. Id constat ex Tridentina Synodo quæ prohibetur Abbatibus *ne tonsuram, vel minores Ordines*, aliis quàm Regularibus sibi subditis conferant. (*Sess. 23. de Reform. cap. 10.*) Id igitur possunt Abbates erga Regulares sibi subiectos: exceptio enim firmat regulam. De Subdiaconatu verò dissident Theologi: non pauci, nec infimæ notæ, existimant Subdiaconatum quem ut verum Sacramentum habent, non posse à Presbytero conferri; probabilior autem videtur sententiâ contraria; 1<sup>o</sup>. quia

Gelasius Papa de Presbyteris loquens: *Meminerint*, inquit, *sibi nullâ ratione concedi sine Summo Pontifice Subdiaconum ant Acolythum jus habere faciendi*; (*Tom. 4. Concil. pag. 1189.*) id ergo poterant ex Summi Pontificis licentia: 2<sup>o</sup>. quia privilegium Subdiaconos efficiendi nonnullus Benedictinorum & Cistercensium Abbatibus concessum fuisse, testantur Fr. à Victoria, in *Summa. n. 235. Navarrus, Lib. 5. Concil. 14. de privilegiis*; Pius Ipse V Romanus Pontifex in Bulla quæ prærogativam hanc roganti Abbati Præmonstratenfis Ordinis denegat.

### ARTICULUS III.

#### De Ministro sacre Ordinationis legitimo.

Legitimus Ordinationis Minister ille est, qui eam non validè tantum, sed etiam licitè, & juxta præscriptas regulas administrat. Quidquid ad materiam hanc pertinet varias in quæstiones distribuemus.

Quæritur 1<sup>o</sup>. an quilibet Episcopus Catholicus possit quem libuerit licitè Ordinare.

Resp. non posse: à solo enim Episcopo proprio licet Ordinationem suscipere; unde sic pronuntiat Tridentina Synodus: *Unusquisque à proprio Episcopo Ordinatur; ..... si secus fiat, Ordinans à colatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quando à proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus*; (*Sess. 23. de Reform. cap. 8.*) quibus tamen verbis validam esse hujusmodi Ordinationem aperte arguitur: juxta hodiernam verò disciplinam proprius Episcopus ille est, cujus jurisdictioni quisque subjacet, vel originis, vel domicilii, vel beneficii titulo. ut sic habet Bonifacius VIII: *Cum nullus Clericum*

*Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat Ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum; seu habet, (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem. (In Sexto, cap. 3. de temporib. Ordin.)*

Quæritur 2<sup>o</sup>. quinam sit Episcopus originis.

Resp. jure veteri constitutum esse, ut originis Episcopus haberetur Præsul loci in quo non natus, sed per Baptismum aliquis esset regeneratus: non desunt etiamnum Theologi & Canonistæ, qui existiment utrumque Episcopum, tum loci in quo natus est aliquis, tum loci in quo baptizatus fuit, verum esse originis Episcopum, sed hodiernæ disciplinæ magis consentaneum est, ut eum adeas Episcopum in cujus diœcesi natus fueris. 1<sup>o</sup>. Quia Innocentius XII id apertè sic definit: *Subditus ratione originis, is tantum esse intelligatur qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat. (Constitut. an. 1694, Speculatores domûs. sect. 9.)* 2<sup>o</sup>. Quia Ecclesiæ Gallicanæ Præsules an. 1657, hanc disciplinam sic commendant: *Decretum est monendos hortandosque Episcopos, ne quem Ordinarent, nisi ex suis diœcesibus oriundum. (Mém. du Clergé, édit. an. 1716. pag. 475. & suiv.)*

Observandum tamen est Episcopum loci in quo natus est aliquis, interdum non censerî Episcopum originis, nimirum si quis negotii causâ alienam in regionem commigraverit, & ibi filium ab uxore secum transductâ suscepit: *Tunc vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda, inquit ibidem Innocentius XII. Cùm enim in hoc ipso loco ubi prole auctus est, pater hospes sit & peregrinus, idem de filio sentiendum est.*

Quæritur 3<sup>o</sup>. quis sit Episcopus domicilii.

Resp. eum esse in cujus diœcesi aliquis ita commoratur, ut in ea perpetuo manendi animum habeat, quique res suas seu fortunas ibidem collocat: sic domicilium definit jus civile. (*cap. de incolis.*) Idcirco qui in aliqua versantur Academia, ut studiis operam dent, quibus absolutis, suam in patriam reversuri sunt; pariter qui negotii causâ in aliqua regione ad tempus commorantur, propriè iis in locis jus domicilii non habent. Quoad tempus ad domicilii acquisitionem necessarium alii decennium cum Synodo Mediolanensi IV an. 1576, & Aquensi an. 1585; alii triennium sufficere existimant: verum cùm istud domicilii jus ex sincero in aliqua regione constanter permanendi consilio pendeat, de eo vix constare potest; quapropter Gallicani Præsules, nullâ ferè habitâ ratione domicilii, a Clericorum alibi natorum Ordinatione abstinere solent, eosque ad originis Episcopum mittere. Quilibet autem Episcopus ex Concilio Trident. jus habet eum Ordinandi, qui apud illum per triennium commoratus fuerit. (*Sess. 23. de reform. cap. 9.*)

Quæritur 4<sup>o</sup>. quinam sit Episcopus beneficii.

Resp. eum esse in cujus diœcesi beneficium possidetur, sive pingue sit aut tenue, simplex aut animarum curam & residendi obligationem importans. Si decretalium verba spectentur, nihil interest quale aut quantum sit beneficium; si quis tamen illud fraudulenter impetrasset, ut proprii Episcopi autoritatem & examen eluderet, tunc licet non possit ab eo Episcopo Ordinari, cujus in diœcesi beneficium obtinuisse: *Fraus enim & dolus, ut in Jure axiomatis loco est, alicui patrocinari non debent.*

Non sine periculo ratione beneficii Ordinatur Clericus, posthabito originis Episcopo, qui illius vitam & mores magis cognoscere censetur; quapropter Innocentius XII decernit *Clericum qui le-*

gitimè jam à proprio Episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ultteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem, testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus & vitâ sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti exhibuerit. (Constitut. Speculatores, scđ. 7.)

Quæritur 5º. an disciplina quæ triplicem admittit Episcopum, à quo licitè conferri possunt Ordines, in Gallis abrogata fuerit.

Resp. 1º. Gallicanis Præfulibus vehementer in votis fuisse, ut solius Episcopi originis ratio haberetur. Id patet ex variis Comitibus generalibus, & Litteris Encyclicis quibus alios Regni Episcopos, ut ita se gererent adhortati sunt. (Mém. du Clergé, édit. de 1716. tom. 5. pag. 507. & suiv.) 1º. Quia simulatum domicilium à verò facillè discerni non potest, cum sæpè fiat ut qui in aliena Diœcesi diu commoratur, animum tamen retineat in patriam redeundi; 2º. quòd periculum sit ne qui in aliena Diœcesi Ordinari cupiunt, eò confugerint ut Ordinanti Episcopo ementitâ pietate fucum faciant; 3º. quia quòd magis aliquis à regula deflectit, beneficia variis in Diœcesibus obtinendo, eò faciliùs ubicumque sibi libuerit, Ordinari potest.

Resp. 2º. in Gallis abrogatam non fuisse disciplinam quæ Episcopo permittit ut eos Ordinet, qui titulo vel beneficii, vel domicilii sibi subijciuntur: eam quippè auctoritatem non sibi vindicant Cleri Gallicani Comitibus, quâ valeant novas leges constituere, quæ antiquas rescindant; quapropter intra meras adhortationes aliis Episcopis factas sese continuerunt; quibus hortamentis non cesserunt omnes Galliæ nostræ Præfules. *Il sau-*

droit être bien étranger en France, inquit Gibert, pour ignorer que des Evêques d'ailleurs irréprochables, donnent les Ordres à ceux qui ne sont de leur Diocèse, qu'à raison du domicile ou du bénéfice, & que les exemples n'en sont pas rares. (Consult. 7. tom. 2. de l'Ordre, pag. 37.)

Quæres 6º. quis sit proprius Regularium Episcopus.

Resp. eum esse in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo Superiorum jussu commorantur; ab eo igitur debent Ordines suscipere, neque ad alienum, nisi ex ipsius licentia, confugere possunt: ita in diversis Conciliis statutum fuit, & maximè in Burdigalensi an. 1624. (Titulo de Ordine, cap. 12. tom. 15. Concil. pag. 1650.) Ratio est quia, cum mundo renuntia verint, jam non pertinent ad Episcopum originis; non alius ergo proprius eorum Episcopus censei potest, quàm ille in cujus Diœcesi domicilium habent. Nec opponant Pii V. an. 1567 Bullam, per quam Fratibus mendicantibus indulget, ut sacros Ordines à quolibet Antistite, . . . Ordinarii loci licentiâ minimè requisitâ, . . . recipere possint. (Magn. Bullar. Rom. t. 2. p. 229. col. 2.) Hanc enim constitutionem revocavit Gregorius XIII. immediatus Pii V. successor, Constitutione In tanta, an. 1573. (Ibid. pag. 370. & seq.)

